

Quintī [Horatīi Flaccī](#)

[carmen](#)

AD LEVCONOEN



[Bouguereau, Bacchans \(1894\)](#)

Tū nē quaesieris (scīre nefās) quem mihi, quem tibi
fīnem dī dederint, Leuconoē, nec Babilōniōs
temptāris numerōs. Ut melius, quidquid erit, patī!
seu plūris hiemēs, seu tribuit Iūppiter ultimam,
quae nunc oppositūs debilitat pūmicibus mare
Tyrrhēnum: sapiās, uīna liquēs et spatiō breuī
spem longam resecēs. Dum loquimur, fūgerit inuida
aetās: **carpe diem**, quam minimum crēdula posterō.

([Carmina 1, 11](#))

--- ◡ ◡ --- || --- ◡ ◡ --- || --- ◡ ◡ --- ◡ X

versus [Asclēpiadēus māior](#)

[Versión](#) castellana:

*No preguntes (es sacrilego saberlo) qué fin a mí, cuál a tí,
los dioses han dado, Leuconoe, ni sondees los babilónicos
números. ¡Cuánto mejor es soportar lo que haya de ser!
Así Júpiter nos ha concedido muchos inviernos, así este sea el último
que ahora desgasta contra los escollos sobresalientes las olas
del Tirreno: sé sabia, filtra el vino y en un espacio breve
recorta una esperanza larga. Mientras hablamos, huye con la palabra
el tiempo: cosecha el día, nada fies del venidero.*



Paraphrasis latīna:

*Nōlī scīre¹ (id enim Nūmina² nōn sinunt³) quem terminum vitae mihi,
quem vitae finem tibi, o Leuconoē, concesserint⁴ deī. Nōlī enim credere
in Astrologiam! multo melius est tolerare quodcumque⁵ acciderit⁶: sive
multas hiemes⁷ Iuppiter nobis donet⁸, sive ultimam nobis det hanc, quae
nunc Etruscōs fluctūs⁹ frangit¹⁰ obiectis rupibus¹¹. Sīs sapiens, vīna
fundās¹², atque limite angustō spem longam scindās¹³. Ecce, dum verba
facimus, tempus praeterit invidum. Ergo diem hodiernum, sequenti
minimē confidens, arripe¹⁴!*

1. **Nōlī scīre** : sī volumus prohibēre, dīcimus **nōlī** et **infinitivum verbi**.
Ex. sī imperō: **venī!** sī prohibeo: **nōlī venīre!** aliud exemplum: sī
imperō: **audi!** sī prohibeo: **nōlī audīre!** Itaque: **nōlī scīre!**
2. **Nūmen, nūminis, n.** Nūmina sunt deī quī imperant id quod volunt et
prohibent id quod nōlunt.
3. **Sino, sīvī, situm, 3, tr.**, permittere, tolerāre.
4. **Concesserint** : hōc tempore, modo subiunctivō, verbī quod est
concedo, **concedere**, concessī, concessum..., indicātur possibilitas vel
etiam voluntas. *Concedere est dare, p̄mittere...*
5. **quicumque, quaecumque, quodcumque**, est prōnōmen vel adiectivum
quō *nescio quis*, id est, omnis homo, quem volumus, vel *nescio quid*, id est,
omnia quae volumus, significātur. Exemplum: *Quicumque leget optimos
poetas, gaudebit = omnis homo, quem imaginari possumus, qui optimos poetas leget,
laetus erit.*
6. **Accidit** id quod in agitur vitā, id enim quod quōdam in locō et quōdam
tempore venit. **Acciderit** est tempus futurum perfectum, modō
indicativō. **Accidit = evenit = fit**.
7. **hiems, hiemis, f.**, tempus hibernum.
8. **dono, donāvī, donātum, tr.**, *donare alicui aliquid* est donum eī dare,
attribuere rem pulchram hōc propositō: gratiās agere alicui et amōrem
monstrāre eī. Latīnē dicere possumus: *donare aliquid alicui* vel *donare
aliquem aliqua rē*. Exemplum: *magister librum discipulo donat = magister donat
discipulum librō.*
9. **fluctus**, -ūs, m. = unda, -ae, f. undae maris = fluctūs maris.
10. **frango, frēgī, fractum, 3, tr.** *frangere* aliquid est *rumpere* id.
11. **obiectis rupibus = cum rupēs sive scopulī collisī sunt.**
12. **vīna fundās**, id est, *vīnum in poculum infunde!*
13. **scindās**, *subiunctivo modo. verbum est scindere, id est, secāre, dirumpere.*
14. **arripe!** *sūme, cape et tenē!*



[Iohannes Gulielmus Waterhouse](#)

[Fatum](#), 1900